



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

2. Siqvis Alisonem Vestigas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

forent diversa inter se loca, separamus castellum ab Alisonis confluente, cui id impositum? tum verò, quos Germanicum limiteis, inter castellum Rheno adpositum, & ipsum Rhenum egisse censemus? denique qua hac fuerit apud auctorem mira atque inepta locorum transpositio vel perturbatio; dum primò castellum ad Rhenum nominaverit; dein retrogrado ordine Alisonem; tandem verò ad priora recurrendo Rhenum? apage sis cum tantis absurditatibus; certum igitur est, distinguere non debere, qua distinguenda videbantur Vetrano ac Lipsio; et consequenter Alisonem etiam apud Tacitum proprium castelli nomen esse, quod præter Cluverium, Ortelius in thesaur. geograph. Joannes Horrion & complures alij memoriæ tradidère; nec contrarium Dio prodidit: docuit is tantum castellum ad Luppia & Alisonis confluentes à Druso positum fuisse, sed propterea non negat, aut falsum esse docet, idem castellum Alisonem appellari: quid enim obstat castellum, urbem, vel alium locum commune cum anne nomen habere: exempla obvia, & propinqua in Luppia, Amisia apud Ptolomæum Cluver. l. 3. c. 9. & Fuldâ in Annal. Franc. oppidorum & fluminum nominibus, & si necesse foret, plura in medium proferri possent: nam ut Schildius de Cauc. l. 1. c. 10. talium neque recentior est infecunda, neque prisca cosmographia.

2. SI QVIS ALISONEM VESTIGAS. Dignus investigatione & notitiâ Aliso, utpote Romanorum monumentis antiquissimus in Westphaliâ, & rerum gestarum gloriâ celeberrimus: hic namque Drusi, Tiberij, & Germanici ex domo Augustâ belli ducum; hic consularium & triumphalibus ornamentis insignium legatorum sedes & tribunal fuit; hic contra Tencteros, Vsi-peres, Bructeros, Chat-

B

tos,

tos, Cheruscos & potissimum Sicambros firmissimum præsidium, & hiberna æstivæque exercitûs. Hinc nobiles expeditiones susceptæ, & prælia multa decreta. Haud procul ara Drusi castelli conditoris sita; Varus cum legionibus cæsus; Variandarum reliquiarum tumulus exstructus; & solutâ obfisione Alifonis à Germanico ara genitoris sui restituta; huc denique à Rheno usque cuncta novis limitibus aggeribusque ab eodem præmunita. Vellejus. Tacit. Dio ll. cc. Cluver. lib. 3. germ. antiq. c. 9. Horrion. lib. 2. Panegy. Paderb. cap. 9. Si quis igitur Romanæ aut patriæ antiquitatis studio Alifonem fortè vestiget, & contra quos, quo auctore, quo loco & tempore exstructus, quæ vestigia supersint, huc properet, & inspiciat, legatque monumentum, cui nihil inscriptum reperiet, quod non antiqui & gravis scriptoris testimonio, vel saltem valde verisimili argumento nitatur & probari queat.

3. SICAMBRIS IMPOSITVM. Dio Cassius l. c. Notissima hæc gens, quam non tantum historiæ Romanæ, & annalium Francicorum authores, in primis Cæsar lib. 4. & 6. Florus lib. 4. c. 12. Sueton. in Augusto c. 20. Tacitus annal. lib. 2. c. 26. lib. 12. c. 39. Dio Cass. lib. 39. 40. 54. verum etiam poëtæ. Horatius lib. 2. od. 4. lib. 4. od. 14. Propertius l. 4. eleg. 6. Ovidius ad Liviam de morte Drusi. Gratius Faliscus in Cynegetico. v. 202. Martialis de spectac. epigr. 3. Claud. de bello Gildonico, & de laudib. Stiliconis. Sidonius Apollinaris & complures alij celebrarunt.

Causæ, cur Aliso castellum contra Sicambros potissimum conditum fuerit, variæ habentur: plurimum potentiâ & virtute militari valebant; nec ulli fuerant erantque eo tempore infensiores & graviores Romani nominis & imperij hostes. Julio Cæsari Galliæ victori Tencteros & Vîpetes dedere

recu-